

GLOTTOLOGICA

Ignacy R. DANKA, Krzysztof T. WITCZAK

DE REBUS LEXICIS ET ETYMOLOGICIS BALTICIS SIMILIA BALTICO-GRAECA

INGRESSIO

In nuper defuncto Professore Stephano Oświecimski, qui Cathedram Philologiae Classicae Universitatis Lodziensis per multos annos moderabatur, dicata Charisteria Similia Baltico-Graeca¹ nostra iniungere ausi sumus. Cuius rei id causae est, quod huius modi proposita a Professoris Oświecimski studiis minime abhorreere videntur. Nota sunt enim palam linguae Graecae sacrata opera Eius, praecipue antiquissimorum illorum linearibus signis impressorum documentorum investigationes. Multo minus autem notum est factum, quod Professor Stephanus Oświecimski in ipso suarum doctarum operarum seriei initio Grammaticam Lituanicam conscripserat, secundi belli universi calamitosa tempestate omnino amissam². Post bellum Professor Graecae Romanaeque antiquitati perquirendae penitus se dedit et ad Balticum propositum iam non rediit. Attamen tempus, quod in Lituania egerat, studia universitaria Vilnensia et amicos Lituanos semper grato animo memorabat.

Sunt quaedam vocabula Baltica, Indogermanicae originis, quae respondent cognatas aliarum Indoeuropaeicarum linguarum formas neque in Slavico neque in Germanico inveniunt, at porro, demum in Haemi regionis sermonibus consanguinea eis verba habentur. Quorum vocabulorum exemplo satis ampla Baltico-Graecorum similium copia sit:

¹ Hoc loco positum opusculum versio est aucta orationis doctae tempore „Colloquii Pruthenici Primi”, quod Varsoviae diebus 30^o m. Septembris et 1^o m. Octobris A. D. 1991 agebatur, habitae.

² Quam Professoris Stephani Oświecimski institutionem grammaticalem uterque separatim Alexander Płazak (in opusculo, quod inscribitur „Prof. Stefan Oświecimski – życie i praca”: „Meander” 45, fasc. 10–12, 1990, pag. 320, edito) et Ignatius Richardus Danka (*Kultura Bałtów*, [in:] *Universitatis Lodziensis Chronica* – Polonice *Kronika UE* – die 1^o m. Octobris A. D. 1991 in pag. 3 impresso) nuper memoraverunt.

NATURALIA

Indoeuropaeum ***dhūiā** 'pulvis, flatus pulvereus, vapor' in Lituano, Samogiticae dialecto proprio, vocabulo **dujā** 'nubes pulvereae, nebula, nimbus', Lituano moderno pluraliter adhibendo **dūjos** 'vapor naturalis aut artificiosus, gasum' et in Graeco $\thetaύα$, Ionico $\thetaύη$ f. 'fumus sacrificialis, tus' durat. Cf. NABS, p. 20. Cuius radix verbalis Indoeuropaeum ***dhū-** 'tumere, flare, fumare' in Graecis verbis $\thetaύω$ 'ferveo, rabio, furo' et $\thetaύω$ 'ad sacrificium cremo' haeret.

Lit. **piéva** (f.) 'pratium' idem est ac Graecum Ionicum $ποιή$ 'id.' (<idg. ***pōiūā** [BSW 228]). Confer GIS, p. 170.

Lettonico **mala** 'litus, ripa, ora'³ consimiles formae eiusdem vocabuli in linguis Haemi regionis respondent, e.g. Dacoromanicum (Thraecae originis) **mal** (n.) 'litus', Albanicum **mal** (m.) 'mons', cf. DBBS, p. 204.

Lit. **kēlias** 'via, iter', Lett. **ceļš** 'id.', cuius vocabuli radix **kel-** eadem est atque ea, quam in Graeco viae nomine $κέλευθος$ 'via' (f.) observamus. Lituanicum verbum **keliāuti** 'iter facere, peragere, vehi' forma Graecum verbum $κελεύω$ 'incito, excito, iubeo' aequat. Quorum verborum atque Graeci nominis $κέλευθος$ Indoeuropaea radice ***kel-** derivatio ***keleu-** esse potuit. Hanc derivationem Hjalmarus Frisk (GEW I 816) miramur putat, quamvis consimilis sit ei, quae in Palaeoindico **karoti** 'facit' (<***k^wr₁-e₂-ti**) observatur, cum participium **krtam** 'factum' (<***k^wr₁-to-m**) non derivatam radicem ***k^wer-/*k^wr₁-** (IEW 641, sub **k^wer-**) praesentat. Ergo in Lituano **keliāuti** non secus atque in Graeco $κελεύω$ et $κέλευθος$ iam ab Indoeuropais derivatum verbum ***keleu-** restare potest, cum nuda radix ***kel-** in Graeco $κέλομαι$ 'incito, excito, voco' (GEW I 817) servatur. Latinum **celer** etiam hanc radicem habet. Quae ad significationem pertinent, bene ipse Hjalmarus Frisk (GEW 816, sub $κελεύω$) explanat et sensum verbi $κέλεσθαι$ ita nomini $κέλευθος$ respondere monstrat ut cum Germanico verbo **bewegen** 'movere' nomen **Weg** 'via' aut cum Graeco verbo $\check{\alpha}\gamma\omega$ viae nomen $\check{\alpha}\gamma\upsilon\alpha$ sensu iungatur.

Lit. **guōlis** 'lectus; cubile (ferae)', Lett. **guoļa** 'cubile, latibulum, nidus'⁴ una cum Graeco $\gamma\omega\lambda\epsilon\acute{o}\varsigma$ (m.) 'latibulum ferae'⁵ Indoeuropaeam radicem ***gōl-** repraesentare possunt, cuius gradus tenuis ***gl-** Baltico verbo cubandi: Lit.

³ In occidentalibus linguae Lituanae dialectis adiectivum **lyg-malas** 'aequa ripa praeditus' habetur (BSW, p. 167).

⁴ Quorum Baltoslavica formam principalem ***gōlia-** Reinholdus Trautmann in Lexico, qui Baltisch-Slawisches Wörterbuch (BSW, p. 93) inscribitur, instituit.

⁵ Simile sensu et forma Graecum $\varphi\omega\lambda\epsilon\acute{o}\varsigma$ 'latibulum, lustrum' Hjalmarus Frisk (GEW II, p. 1057-1058) cum Theodisco **bōl** (n.) 'latibulum, lustrum, nidus' (<Protogerm, ***bōla-**), Palaeosuecico **bōle** (n.) 'casa fibrina, castorum habitaculum' (<***bōlja-**) confert et formam principalem Indoeuropaeam ***bhōl-** restituit. In qua Indogerm. ***bhō(u)-/*bhū-** haerere potest.

gulēti 'cubare', Lett. **gulēt** 'id.' et in Lettonico vocabulo locum ad dormiendum destinatum exprimente **gula** inest, porro in Baltico 'lectus' nomine ***gl̥-to-** (-tā-): Lit. **gūltai** 'grabatus', Lett. **gulta** 'lectus'⁶ haeret. Animadvertendum est sermones Balticos verbum motivum ***gl̥-(ē-i-)** servare, quod in solo Indo-europaeico alibi omnino oblivioni datum est.

ARBORES ET PLANTAE

Sunt aliquot arborum et fruticum nomina linguis Balticis et regionis Haemi sermonibus, praecipue linguae Graecae, propria, quae infra enumeramus:

Iatuingicum **ſjale** 'Sambucus nigra', Lit. **šeiv-medis** vel **šeivā-medis** 'id.': Graec. *ἀκτέα* (f.), *ἀκτέος* (m.) 'Sambucus nigra', Dac. *σέβα/seva* (f.) 'id.' (ex Protoindogerm. ***āk̥péuā** 'Sambucus nigra').

Lit. **ieva** (f.), Lett. **iēva** 'Prunus padus': Graec. *οῖη*, *οῖα*, *οῖα* (f.) 'Sorbus domestica' (NABS, p. 53). Appellatio Baltica Graecaque ***ōiuā** (f.) arborem foliatam rubris baccis insignem significat, at vocabulo ***īuós** (f.) 'Taxus baccata' sermonibus Germanicis et Celticis proprio (cum Slavico ***īva** 'salicis genus' coniuncto) omnino aliena est.

Lett. **ērcis** 'iuniperus': Graec. *ἄρκευθος* (f.), et Eteocret. *ἄργετος* 'iuniperus'. Eiusdem radicis Slav. ***orkyta** (f.) 'salicis genus' est, tamen significatione differt.

Lettonicum **prieds** 'pinus'⁷ (ex Idg. ***bhroid[h]o-** 'id.') Albanico **brēdh** et Dacoromanico **brad** 'pinus' respondet. Slavicum ***brēda**/***brēdina** 'salicis genus' supra dictis nominibus cognatum similiter atque vocabula ***īva** et ***orkyta** olim arbusculam coniferam significavisse videtur.

Baltico carpini nomini ***skrābr-** (cf. Lith. **skroblūs** 'Carpinus', Pruth. **scoberwis**, Lett. **skābarde** 'id.') Illyricum (vel Albanicum) **shkozē** (<idg. ***skrābrdīā**) respondet.

Pruthenicum **peuse** (f.) 'pinus' (<Balt. ***piaušē** [BSW 233]), Iatuingicum **puſe** et Lituanicum **pušis** (f.) 'pinus' Indoeuropaeicam radicem ***peuk̥-/*puk̥-** representant. Quibus vocabulis Balticis gr. *πέυκη* (f.) 'pinus' optime respondet. Palaeotheodiscum **fiuhta** (f.) et Hibernicum **ochtach** (m.) 'pinus' radicis ***peuk̥-/*puk̥-** derivata sunt dentali sonante praedita. In Slavico respondens forma deficit.

⁶ Quorum simillima Scandica vocabula sunt: Norvegicae dialecti proprium **kold**, **kuld** 'parvi aut ova in nido', Palaeosuecicum **kolder** 'id.' (<Protogerm. ***kulþaz**). Cf. EW, p. 402; NABS, p. 54.

⁷ Consonans labialis surda **p-** in Lettonico **prieds** (pro sonora ***b-**) propter pinus alteram appellationem Balticam (***piauš-**/***puš-**) apparuisse videtur. Cf. etiam Lit. **burnà** 'facies, vultus, os', Bulg. **bărna** 'labium' et Lett. **puřna**, **puřns** 'rostratum'.

ANIMALIA

Let. *gārns* (gen. *garna*), *gārnis* 'ardea', Lit. *garnys* 'ciconia, ardea', quae per mediantes formas **gārna-/*gārniā-* ad formam principalem **gerāno-* referri possunt, bene Graeco *γέρανος* 'grus' respondere videntur (cf. BSW, p. 87). Gruis Balticum nomen **gērūjā* f. (cf. Lit. *gėrvė*, Lett. *dzeŗve*, Palaeopruth. *gerwe*) propius Slavico **žeravjъ* (ex **gerōujō-* m.) 'grus' stat.

Lit. *žuvīs* 'piscis', Let. *zivs* 'id.', Iatv. *žuwo* 'piscis' (gl. 'ryby'), Palaeopruth. *suckis* 'piscis' (acc. pl. *suckans*) idem est ac Graecum *ἰχθύς* 'id.' (cum initiali vocali *ι*, quae vulgo prothetica nuncupatur), Arm. *jukn* atque Dacorom. *juvete* 'parvus piscis'⁸. Supra dicta vocabula Indoeuropaeam formam principalem **ōhghū-* repraesentant⁹.

Lit. *šāpalas*, Lett. *sapals* 'piscis genus' Graecae piscis maritimi appellationi *κέφαλος* et Palaeoindico *šapharah* 'cyprinus' bene respondet. Quorum vocabulorum verisimilis Indoeuropaea protoforma **kēphalos* (e vetustiore **kēpAelos* ortum) fuit.

Baltica muscae appellatio (Lit. *musė* 'musca' item *mūsė*, *musiā*, *musis* [LEW I 474], Lett. *muša*, *musa* 'id.', Pruth. *muso*) similior propter radicis vocalem et communem Lituanicam et Lettonicam protoformam **mūsijā* Graeco muscae nomini *μῦα* (<**mūsijā*) est atque ceterorum Indoeuropaeorum muscam significantia vocabula, praecipue Slavicum **muxa* (<**mousā*).

Hoc loco animadvertendum est novum Lituanae et Graecae linguarum similitudinis exemplum, quod est Lituanicum muscae canicularis ('Hundsflye' Maximiliani Niedermann *Lituanae linguae litterariae Lexicon* [WLS], p. 554) nomen *šunmusė* anteponendum Homericō *κυνάμνια* 'musca impudica, quae canes vexat' (Cf. Boisacq DELG 535).

HOMO

a) corporis partes

Indogermanicum **gnādhos/*gōnādhos* 'gena' in Lituano *žāndas* 'gena', Lettonico *zuōds* 'mentum' et in Graeco *γνάθος* (f.) 'gena', Macedonico *κάναθος* 'id.' manet. Quae vox eiusdem Indoeuropaeae radicis **gen-* est, quam latius apud Indoeuropaeos notum **génus* f. (cf. Graec. *γένυς* (f.) 'mala', Goth. *kinnus* (f.) 'gena', Palaeoind. *hānuh* (f.) 'id.') servat. Cf. IEW, p. 381; GIS, p. 171.

⁸ Dacoromanicum *juvete* et Lettonicum *zutis* 'anguilla' (ex Baltico **žuvītis* (SBS, p.40)) eandem aut simillimam Indogermanicam protoformam repraesentare videntur.

⁹ In Slavico vocabulum **zъveno* 'pars rotae vel piscis dissecti' (cf. Pol. *dzwono*, Ruth. *zvenó* et cetera) ab oblivione obruto piscis nomine **zъv-* < **ōhghū-* derivatum esse nonnullis videtur (cf. Vaillant, *Revue des études Slaves*, 18, Paris 1921, p. 246-248). A professore Francisco Sławski (SEJP, I, p. 211) pro incerto habetur.

Lituanicum **káulas** (m.) 'os, caulis', Lettonicum **kaūls** 'os', Pruthenicum **caulan** (n.) 'crus', quae Indoeuropaeam formam principalem ***kāuló-** (cf. NABS, p. 58) continuant, proximam respondentem formam in Graeco **καυλός** (m.) 'caulis, caulis pennae, scapus' habent. Slavicum hac radice Indoeuropaea omnino caret.

b) familia, consanguinitatis gradus

Ex Indoeuropaea radice verbali ***bhendh-** 'ligare' confecta eadem derivatio ***bhendhēros** 'colligatus, cognatus' in Graeco **πενθερός** 'colligatus, socer, vir fratris vel sororis' Lituanico **beñdras** adi. 'communis', subst. 'compos', Lettonico **biedrs** 'sodalis' haeret. Eiusdem radices cognati appellationes aliae in sermonibus Indoeuropaeicis aliter formatae sunt, cf. Palaeoindicum **bandhu-** 'cognatus', Anglicum **hus-band** 'maritus'.

Let. **dēls** 'filius' (< ***delHós**) cum Albanico **djalë** 'puer, filius'¹⁰ et Armeniaco **tal** 'uxoris cognatus' colligandum est. Ad quae vocabula Chettaeorum (sive Luviorum) hieroglyphicas litteras adhibentium lingua novum exemplum nempe **FRATER-tala-** (***atala-**) 'frater'¹¹ praebet. Protoindogermanica enumeratorum vocabulorum forma principalis ***ēdelEós** fuisse quivit.

Lit. **laigōnas** vel **láig(u)onas**¹² (m.) 'uxoris frater' proxime stantem cognatam vocem in Graeco ab Hesychio tradito **λογωντίαν φρατρίαν** habet. Quapropter Iulius Pokorny (IEW 668) Indogermanicum ***loigōnos** 'uxoris cognatus' restituit. Aliae linguae Indoeuropaeae hac voce carent, quamvis radix ***leig-** 'vincere' in Latino **ligare** et in Slavico¹³ habeatur.

OECONOMICA

a) agricultura, cibus, pastoralia

Lit. **piemuō** (gen. **piemenēs**) 'pastor (ovium)' unicum formam plane respondentem in Graeco vocabulo **ποιμήν** 'id.' habet, quorum formae Indoeuropaeae principales simillimae sunt: ***pōimōn** et ***pōimēn** (BSW, p. 204; NABS, p. 59–60).

Indoeuropaeum **pūros** 'Triticum vulgare' in Lituorum et Lettonum sermonibus (cf. Lit. **purai**, Samogiticum **pūras**, Lett. **pūri**) triticum hibernum

¹⁰ De hac conexione A. V. Desnickaja in libri, qui *Sravnitel'noe jazykoznanie i istorija jazykov* inscribitur (DBBS, p. 203) disseruit.

¹¹ De hac consanguinitatis appellatione in opusculo suo *On Kinship Terms in Hieroglyphic Luwian* (Orient XXVI, 1990, p. 86–93) inscripto Terumasa Oshiro vir doctus Iaponicus accuratissime disserit.

¹² Sic Ernst Fraenkel (LEW, I, p. 331).

¹³ Cf. Rutenicum **polyhaty śa** 'colligari'.

significat similiter ac Graecum *πῦρος* 'Triticum vulgare' (BSW, p. 232) cum respondens forma Slavica (**pŷro*/**pŷrǫ* 'far' vel 'miliun' bel 'Triticum spelta' vel 'Triticum repens') et Pruthenicum *pure* 'zizanium', ut videmus, alias plantas designant.

Lituanicum *brīzdis*/*bīrzdīs* 'Triticum repens' ex Indogermanico **bh̥Hsdā* (f.) 'Triticum vulgare', quod in Albanico *bardhë* 'triticum' et Thracō *βριζα* 'grani genus quoddam' servatur, derivatum est. Hoc in casu significatio similiter atque inter Graecum *πῦρος* 'Triticum vulgare' et Slavicum **pŷrǫ* 'Triticum repens' (aut 'Triticum spelta' aliaque similia) alternat.

Pruthenicum *wagnis* 'vomer, pars aratri' optime Graeco ab Hesychio tradito aratri nomini *ὄφνις* respondet. Quae formae Indoeuropaeum **uogh^wnis* continuant cum alibi eiusdem radicis vomeris appellationes, exempli gratia Latinum *vōmis* (<**uogh^w-smis-*) aliter derivatae sunt.

Lituanicum *svīrnas* (m.), *svirnà* (f.) 'stabulum, granarium' optime Thracō *σιρ(ρ)ός* '(subterraneum) granarium' (ThSpr. 449) respondet. Quorum vocabulorum Indoeuropaea forma principalis **suirnós* aut **surnós* fuisse videtur.

Lit. *korŷs* 'favus; favi cum melle', Lett. *kāre* 'favus, favi' Graecis *κηρός* 'cera', *κηρίον* 'favus' bene respondere videntur. Praecipue forma et sensu Lit. *korŷs* 'favus' et Gr. *κηρίον* 'id.' concinunt, quorum forma principalis **kāriyo-* esse potest neutrius generis. Quamvis *-ā-* in Graeco formis Doricis ceterisque non comprobetur, A. Walde (LatEW I, p. 202) et J. B. Hoffmann (EWG, p. 143) Indoeuropaeam radicem **kār-* 'favus, cera' restituunt et Latinum sic *cēra* ut *cēroma* 'favus' pro vocabulis a Graecis ascitis putant. Propter formarum et sensus similitudinem nequimus et nos vocabula Baltica a Graecis seiungere.

b) vestimentum, supellex, opera

Indogermanico ligni aut trunci nomini **ksúlom* Lituanicum *šūlas* 'ligneum firmamen, columella' et Graecum *ξύλον* (n.) 'lignum, trabs, fustis' continuantur, cf. NABS, p. 27–28.

Indogermanicis protoformis **skutlHā*, **skutlHom* 'baculum, instrumentum ligneum' Lituanicum *skutūle* (f.) 'pyxis lignea', Graeca autem vocabula *σκυτάλη* 'lignea columella', cylindrus ligneus', *σκύταλον* 'scipio, baculum' continuantur. Radicem verbi motivantis **skut-* Lituanicum *skutū*, *skūsti* 'radere, scabere' servat¹⁴.

Lituanico *skalā* (f.) 'scida lignea, asser', Lettonico *skals* 'scida lignea' Albanicum *halë* (f.) 'squama, assula, ossiculum' (ex Idg. **skolā*) proximum est (DBBS, p. 204). Lingua Lituanica Indoeuropaeicam radicem verbalem motivantem **skel-* in verbo *skēliu*, *skēlti* 'scindere' servat.

¹⁴ Quae J. Rozwadowski (*Wybór pism*, t. 2, Warszawa 1961, p. 322–323) invenit, contulit et commentatus est.

SOCIETAS, CULTUS

Balticae formae ***pilis** (f.) 'arx' (Lituanicum **pilis**, Samogiticum et dialecticum etiam **pilē**, Lettonicum **pils**, Pruthenicum et Iatuingicum ***pili-** in locorum nominibus) optime Graecum **πόλις** (f.) 'arx, oppidum' respondet, additis formis Sanscriticis: athematica **pūr**, gen. sg. **puráh** (f.), et thematica, vocali **-a-** praedita **purám** (n.), cf. GIS, p. 173.

Animadvertere licet civis appellationem similiter Lituanos ac Graecos derivavisse: Lit. **piliētis** 'civis', Graec. **πολίτης** 'id.'. Quae derivatio quamvis similis eadem profecto non est.

ABSTRACTA

Lit. **jegà** 'vis' (= 'gyvųjų būtybių fizinė ar psichinė galia' [DLKŽ 267]), Lett. **jēga** 'sensus, notitia' optime Graeco **ἦβη** 'iuvenile robur, iuventus, aetas virilis' respondent et e communi Indoeuropaea forma principali ***jég^wā** (f.) 'Kraft, Jugendkraft' (sic Pokorny IEW, p. 503) originem ducunt. Lingua Lettonica verbum motivum in forma **jēgt** 'intelligere' servat. Quorum verborum significatio sinit nos credere nomen ***jég^wā** in initio potius vim intellectus quam vim corporis indicavisse.

Lituanicum **dainā** (f.) 'canticum', Lettonicum **daina**, Iatvingicum **daina** 'id.' Dacoromanico vocabulo **doină** 'cantio lugubris' respondent. Etiam Ariis sermonibus haec vox nota est altera tamen significatione praedita: in Palaeoindico **dhénā** (f.) 'vox, sermo, precatio', in Avestico autem **daēnā** (f.) 'religio' habentur. Quorum vocabulorum protoforma Indoeuropaea ***dhōjnā** fuisse videtur.

Lit. **núoma** 'conductio', Lett. **nuoma** 'id.' et verbum denominativum Lit. **nuomoti** 'locare', Lett. **nuomat** 'conducere', **iznuomat** 'locare' respondententes formas in Messapico subiectivo **noma** 'tributum'¹⁵ (acc. sg. **noman**, dat. pl. **nomais**) et in Graeco verbo denominativo **νομᾶω** 'distribuo, divido, agito' habent. Omnia supradicta vocabula possunt Idg. ***nōmā** continuare, cuius radix ***nem-** in Lettonico **nemt** 'sumere' (secundarie palatalita prima nasali consonante) et Graeco **νέμω** 'tribuo', restat.

Lit. **ligà** 'morbus', Lett. **liga** (f.) 'id.' optime respondet Albanico **ligë** 'morbus' (< ***ligā** [DBBS, p. 203; IEW, p. 667]).

Lit. **mētas** 'tempus', pl. **mētai** 'annus' simillimum est ita forma ut sensu Albanico **mot** (m.) 'tempus, annus' (cf. DBBS, p. 203).

¹⁵ Cf. T. Milewski, *The Relation of Messapic within the Indo-European Family*, [in:] *Z zagadnień językoznawstwa ogólnego i historycznego*, Varsoviae 1969, p. 207.

Lit. **spaudà** (f.) ‘prelum’ nunc quoque ‘actorum diurnorum diribitorium’ optime respondentem formam in Graeco *σπουδή* (f.) ‘festinatio, strenuitas’ habet et verbum motivum in Graeco *σπεύδω* ‘cito, incito, molior’ cum Lit. **spáudžiu**, **spáusti** ‘premere’ Indoeuropaeam verbum iterativum ***spóudejō** continuat.

ADIECTIVA

Lituanico adiectivo **giēdras** ‘clarus’ (etiam **gaidrūs** ‘id.’) Graecum *φαιδρός* ‘clarus’ (<Idg. ***gh^waidrós** adi.) respondet.

Indogermanicum adiectivum ***ok̑sús** ‘acer’ in Lettonico **ass** et in Graeco *ὄξύς* ‘id.’ manet. Quae vocabula Indoeuropaeam radicem ***ak̑-/*ok̑-** (ex vetustiore ***Aek̑-/*Aok̑-**) repraesentare possunt.

Lit. **leīlas** ‘macer’, Lett. **liēls** ‘magnus’, Iatv. **leļš** ‘id.’, quorum forma principalem ***leīlós** est, similem formam Graecam in ab Hesychio praebito *λειρός . ὁ ἰσχνός καὶ ὠχρός* habent.

Lettonico **mēlns** ‘niger’, Iatv. **melno** ‘id.’ optime Graecum *μέλας* ‘niger’ sensu respondet. Formam Graecam Émile Boisacq (DELG 622) e forma ***μέλανος** deducit, quae Palaeoindico **malināh** ‘sordidus, impurus, niger’ bene respondet et initialem formam Indoeuropaeicam ***mélāno-s** repraesentat. Huius principii etiam Balt. ***mēlnas** est.

Lit. **šīrmas** (etiam **šīrmas** et **šīrvas**) ‘ravus, canus’ cognatum adiectivum in Albanico i **thjermë** ‘cinereus’ habet, cf. DBBS, p. 203.

Lit. **ráišas** ‘claudus’ Graeco *ροικός* ‘curvus’ forma simillimum Medio-Anglico **wrāh** ‘perversus’ (<***wrāiha-**) addito Indogermanicam formam principalem ***urōīkos** postulat (NABS, p. 55).

Lituanico **striprūs** ‘validus’, Lettonico **stīprs** ‘id.’ satis bene Graeca adiectiva *στιφρός* ‘crassus, firmus, validus’ et *στιβαρός* ‘firmus, validus’ respondere videntur.

VERBA

Lit. **mostigúoti** vel **mostikúoti**¹⁶ ‘vibrare, rotare’ simillime derivatum est ac Graecum *μαστιγέω* (apud Herodotum, I, 114: *μαστιγέω*) ‘flagellare’. Ita in Lituanico ut in Graeco verbum est denominativum a nomine apud Lituanos oblitterato sed apud Graecos in forma *μάστιξ*, gen. sg. *-ῖγος* ‘flagrum’ servato.

¹⁶ Saepius **mostagúoti**, confer DLKŽ, p. 409.

Quamvis Hjalmarus Frisk (GEW II 183) hanc similitudinem formalem et casualem habeat, eadem derivatio propinquitatem utriusque linguae eximiam arguit.

Indogermanica radix verbalis **pēu-/*pðu-* 'percutere' cum diphthongo longa apud Baltos invenitur (lit. *pjáuti* 'secare, metere, rodere', Lett. *pl'aut* 'metere', latv. *piaud*) cum diphthongo olim prius elementum exile habente (Lat. *pavio*, Graec. Ion. *παίω* 'percutere, caedere').

CONIUNCTIONES

Lit. *iř* 'et, atque', Lett. *ir* 'id.' (rarius adhibendum quam a Teutonibus ascitum *un* 'et'), cui Graecum *ἄρ, ἄρα, ῥά* 'itaque' respondet, communem cum vocabulo Lituanico formam principalem in Indogerm. **ĭ* 'et, etiam, usque' habent, cf. GEW I 127.

Lit. *tē* 'en sume, accipe, cape' idem est ac Graecum *τῆ* ('id.') et Indogerm. **tē* continuare potest, cuius origo pronominalis esse videtur. J. B. Hofmann (EWG, p. 363) cum pronomine **to-* (cf. gr. *τό*, Palaeoind. *tád* < Indogerm. **tód* 'id, istud') supra dictam interiectionem confert.

Haec similia, quae in primis sermones Balticas cum lingua Graeca et aliis linguis in Haemi regione usitatis iungunt, priscos sermonum Balticarum locutores cum Haemi regionis incolis in quadam vicinitate vixisse demonstrare videntur.

Animadvertendum est plures supra dictas voces linguae Graecae et sermonibus Balticis proprias respondentibus formis Slavicis carere.

Hinc concludi potest priscos sermones Balticos iam in principio a Slavico in lexicis distulisse. Consideratio nostra exile additamentum est eius propositi, secundum quod pristinae linguae Protobaltoslavicae loco dialectorum Indo-europaeicarum systema fuerit, quae propter vicinitatem coalescerent.

INDEX COMPENDIORUM

- BSW – R. Trautmann, *Baltisch-Slawisches Wörterbuch*, Göttingen 1923.
 DBBS – A. V. Desnickaja, *Drewnie balkano-baltijskie sootwetstwija i albanskij jazyk*, [in:] *Srawnitel'noe jazykoznanie i istorija jazykow*, Leningrad 1984, p. 192–204.
 DELG – É. Boisacq, *Dictionnaire étymologique de la langue grecque*, Heidelberg–Paris 1923.
 DLKŽ – J. Kruopas (et collegium), *Dabartines lietuvių kalbos žodynas*, Vilnius 1972.
 EWG – J. B. Hofmann, *Etymologisches Wörterbuch des Griechischen*, München 1950.
 GEW – H. Frisk, *Griechisches etymologisches Wörterbuch*, Bde. 1–3, Heidelberg 1960–1972.
 GIS – W. Porzig, *Die Gliederung des indogermanischen Sprachgebiets*, Heidelberg 1954.
 IEW – J. Pokorny, *Indogermanisches etymologisches Wörterbuch*, München–Bern 1959.

- LatEW – A. Walde, *Lateinisches etymologisches Wörterbuch*, Bde. 1–3 (neubearbeitete Auflage von J. B. Hofmann), Heidelberg 1938–1956.
- LEW – E. Fraenkel, *Litauisches etymologisches Wörterbuch*, Bde. 1–2, Heidelberg 1962–1965.
- NABS – V. M. Illich-Svitych, *Nominal Accentuation in Baltic and Slavic*, London 1979.
- SEJP – F. Sławski, *Słownik etymologiczny języka polskiego*, t. 1–4, Kraków 1953.
- SBS – W. Smoczyński, *Studia balto-słowiańskie*, cz. 1, Wrocław–Warszawa–Kraków–Gdańsk–Łódź 1989.
- ThSpr – D. Detschew, *Thrakische Sprachreste*, Wien 1957.
- WLS – M. Niedermann, A. Senn und F. Brender, *Wörterbuch der litauischen Sprache*, Heidelberg 1958.

O LEKSYKALNYCH PODOBIENSTWACH BAŁTYCKO-GRECKICH

(streszczenie)

Autorzy przychylają się do tezy o istnieniu pierwotnego rozwarstwienia dialektalnego między ludnością prabałtycką i prasłowiańską. Innymi słowy, zakładają, że nie było nigdy jednolitego języka bałto-słowiańskiego. Tezę tą wzmocniają spostrzeżeniem, że języki bałtyckie (w przeciwieństwie do słowiańskich) mają liczne powiązania z językami paleobałkańskimi. Szczególnie jest to widoczne przy porównaniach leksykalnych bałtycko-greckich. Autorzy grupują liczne tego rodzaju podobieństwa leksykalne według grup tematycznych, np. zjawiska natury (por. choćby takie zestawienia jak gr. *θύα* 'dym ofiarny' i lit. *dujù* 'wyziew, gaz', alb. *mal* 'góra' i łot. *mala* 'brzeg').